

1249 Juli 13.

[23 105

Bischof Otto von Münster entscheidet, daß das Patronat der Kirche in Rethede dem Kloster Varlar zugeht.

Otto. Dei gratia Monasteriensis ecclesiae episcopus, omnibus in perpetuum. Cum orta esset controversia super iure patronatus ecclesiae in Rethede inter praepositum Varlariensem ex una parte et Gerlacum militem de Rethede dictum Bitter ex altera, examinationem causae dilectis nostris magistris Thetmaro et Frederico maioris ecclesiae nostrae canonicis secundum formam juris commisimus, et auditis testibus hinc inde productis attestaciones utriusque partis nobis in praesentia capituli nostri publicaverunt. Nos igitur attestacionibus diligenter examinatis et discussis causae meritis habito priorum ecclesiae nostrae et aliorum discretorum necessario peritorum consilio sentenciando pronuntiavimus possessorii iuris patronatus ecclesiae in Rethede ad ecclesiam Varlarensis [pertinere. Ne quis autem eam]¹) super praedicto iure patronatus inquietare praesumat, praesentem paginam super hoc conscriptam sigilli nostri munimine roboravimus. Acta sunt haec anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XLIX<sup>o</sup>, III Idus Julii.

Kopie im Varlarer Kopiar S. 52. — Vergl. Kreis Borken, S. 136 (192\*) Rethede Nr. 1.